



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Unversus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputat. IV. In quo consistat notio subjecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

Item mag-
num &
parvum.

si completi possit; parvum, quod Iro pauperior, ex se nihil habeat, omnemque quem habet ornatum aliunde emendicet, quæ proinde si in sua specie &

formâ cerni posset, non minorem moveret risum; quàm olim cornicula furtivis nudata coloribus.

DISPUTATIO IV.

In quo consistat notio subjecti.

SECTIO PRIMA.

Refelluntur quadam hac de re sententia.

I.
Ratio sub-
jecti non
consistit in
sustentatione, seu
influxu
materiali.

Rationem subjecti quidam in sustentatione collocant, seu quod influat in aliud, & illud causet materialiter; rationem verò formæ e contrario in eo sitam esse volunt, quod in subjectum non influat. Sed contrâ, materia est subjectum respectu animæ rationalis, quæ verè informat materiam, hæc tamen in eam non influit, anima enim rationalis creatur, non generatur, ergo recipere seu esse subjectum generatim loquendo non est causare aliud materialiter, seu in illud influere, aut sustentare. Præterea Angelus e. g. vel ignis productus, est aliquo modo subjectum respectu creationis & generationis, & generatim effectus omnis est aliquo modo subjectum respectu suæ productionis, & tamen effectus nunquam influit in actionem per quam producitur, ergo.

II.
Volunt alij
rationem
subjecti
consistere in
indifferentia ad
constituendum
diversum
compositum

Secundò, volunt alij rationem subjecti in quadam indifferentia consistere ad constitutionem diversis compositi, quæ indifferentia tollitur per formam; ut materia ex se indifferens est ad hoc vel illud compositum constituendum, per formam autem equi determinatur ad constituendum equum, per formam leonis ad leonem, per formam hominis ad hominem, & sic de reliquis. Idem est, inquit, in compositis accidentalibus, paries enim ex se indifferens est ad compositum albi, nigri, aut alterius cujuscvis coloris, per formas verò accidentales ad hoc vel illud compositum in particulari determinatur.

III.
Contrâ: A-
nima ra-
tionalis est
indifferens
ad varia
composita.

Impugnatur primò, est enim probabilis sententia materiam celi susceptivam tantum esse formæ celi, & tamen verè illa est materia, hæc forma, ergo ratio subjecti universim non consistit in hac indifferentia. Secundò, anima rationalis indifferens est ad varias materias, nec enim magis ex se petit anima Petri esse in materiâ in qua est, quàm in materiâ quæ est sub formâ equi, vel arboris, ergo non consistit essentia materiæ, seu subjecti in indifferentia ad varia composita constituenda, cum hæc indifferentia conveniat etiam formæ.

IV.
Non est ei-
iam, cur
dari ne-
queat for-
ma indiffe-
rens ad ma-
terias spe-
cie distin-
ctas.

Dices non convenire formæ ut sit indifferens ad materias specie distinctas. Contrâ primò, ergo saltem non consistit essentia materiæ in quacunque indifferentia, sed in indifferentia ad diversas formas specie. Contrâ secundò, non apparet cur non possit dari forma, quæ respiciat duas vel plures materias specie distinctas, & ipsas possit informare, & cum ijs constituere compositum, nulla, inquam, hujus assignari potest implicatio, nisi petatur principium, & dicatur, illam non fore formâ quia est indifferens ad diversas specie materias, hoc autem est in questione.

V.

Tertio impugnatur hic modus explicandi ratio-

nem subjecti, & ostendo formas aliquas de facto esse indifferentes ad diversa specie subjecta. Et ut omit- tam de luce receptâ in cælo, sole, lunâ, stellis, aëre, vitro, aquâ, &c. quia dicunt recipi solum in eorum materiâ, quam eandem specie esse asserunt in omnibus, gratia est indifferens, ut sit in animâ rationali, vel Angelo, & in hoc Angelo, vel illò, cum tamen multi, imò omnes Angeli qui de facto sunt, differant specie, juxta communem Theologorum sententiam, ergo gratia quæ est forma, habet indifferentiam ad hoc vel illud subjectum specie distinctum.

Dices, esse quidem gratiam indifferentem ut sit in subjectis specie distinctis, sicque convincit argumentum posse dari formam indifferentem quoad esse respectu diversorum subjectorum, gratia tamen ijs omnibus eandem tribuit denominationem, nam omnes tam homines quàm Angelos denominat gratia, sicut licet sit indifferens in essendo, est tamen determinata in denominando. Contrâ primò, ratio cur ipsi dicunt materiam non esse formam, nec denominare, est, quia est indifferens ad constituenda varia composita, ergo si concedant formam esse similiter indifferentem ad constituenda varia composita, dicere necessario debent eam non esse formam, sed materiam, cum hæc secundum ipsos sit essentia materiæ. Contrâ secundò, forma indifferens est ad varia subjecta specie distincta in essendo, ergo & in informando, cum esse formæ sit informare, ergo forma in propriissimâ ratione formæ est illimitata & indifferens, ergo perfectissima indifferentia convenit formæ.

Quartò impugnatur hæc sententia, & ostenditur formas posse ex naturâ suâ non solum informare diversa subjecta, sed etiam dare diversas denominationes, nam gratia habet ualis homines non subsistentes substantiâ increata denominat filios adoptivos, Christo autem non dat hanc denominationem, quia per sanctitatem increatam est Filius Dei naturalis, ergo forma aliqua est ex naturâ suâ indifferens non ad diversa solum specie subjecta, sed etiam ad diversas specie denominationes, sicque non in essendo tantum, sed etiam in denominando.

Quintò, idem ostenditur in formis merè naturalibus, species visibiles emissæ ab objecto recipiuntur in aëre, & oculo, oculo verò dant denominationem visivi, aëri hanc non dant, sed meram denominationem informati speciebus visibilibus. Item actio educitiva, etiam juxta adversarios, est in passo ut in subjecto inhaesionis, & in termino ut in subjecto affectionis, passo autem dat denominationem patientis, termino verò non denominationem patientis, sed producti. Unio dat materiæ denominationem subjectantis, non formæ, formæ denominationem informantis, non materiæ, ergo aliqua formæ sunt illimitatæ non solum in essendo, respectu diversorum specie subjectorum, sed etiam in denominando, cum & influit diversis subjectis, & diversam ijs denominationem tribuant.

Dices

IX. Dices primò; Aristoteles sæpè comparat materiam uno sensu generi, formam differentiam; ergo illa est indifferens ad plura, hæc ad unum limitata. Resp. loqui Aristotelem de materiâ hac sublunari, quam non negamus esse indifferentem, hoc tamen non arguit non posse dari materiam quæ sit determinata ad unam formam, nec formam quæ sit indifferens ad informandum varia subjecta, ut de formis accidentalibus jam ostendimus.

X. Dices secundo; Aristotelem in primâ definitione materiæ suprà assignatâ, dicere ipsam non esse quidquam eorum quibus ens determinatur, ergo censet formas determinare. Resp. non me negare determinari materiam primam per formas substantiales & accidentales: dico tamen, licet forma aliqua substantialis, anima rationalis v.g. esset indifferens ad tot materias specie diversas, ad quot materia est indifferens formas, adhuc posse animam determinare illas hoc sensu, id est, diversa cum illis constituere composita, ita ut nec materia nec forma amplius maneat illimitata. Quod etiam admittere debent adversarij in animâ rationali respectu diversarum materialium numero.

XI. Alij notionem subjecti reducunt ad antecessorem aliquam, formæ verò ad posterioritatem, nam inquirunt, materia respectu formarum materialium est prior naturâ, respectu verò animæ rationalis est etiam aliquo modo prior, non quidem animâ rationali in se, sed quia est prior dispositionibus ad eam requisitis; quod autem est prius eo quod est alio prius, à fortiori est prius illo, ut in successione locali, ac duratione est manifestum, sic enim hora prima quæ est prior secunda, à fortiori est prior tertiâ. Hic modus philosophandi propius accedit ad veritatem quam præcedentes, non tamen usquequaque placet, ut latius dicam sect. sequente.

SECTIO II.

Verus modus explicandi rationem subjecti.

I. **N**otandum, rationem subjecti variis modis sumi. Primò, pro subjecto sustentationis, & inhaesionis, quod verum denotat causæ materialis influxum in formam cui unitur, cum hac tamen differentia, quòd subjectum sustentationis illud sit quod materialiter concurret ad formas substantiales, subjectum verò inhaesionis ad accidentales. Subjectum adhaesionis non influit materialiter in rem cuius est subjectum, sed solum habet eam intrinsecè sibi adhaerentem, & à se dependentem essentialiter. Huiusmodi subjecta sunt effectus omnes respectu actionum quibus producuntur, ut ignis respectu generationis, Angelus respectu creationis; & verbum etiam Divinum respectu unionis Hypostaticæ. Subjectum informationis præcisè illud est, quod intrinsecè denominatur à formâ, quæ in suo esse nullo modo à tali subjecto nec à priori dependet, nec à posteriore, ut anima rationalis respectu corporis. Idem videtur si forma aliqua materialis concursu creativo in materiâ, independentem tamen ab illâ, conservaretur. Subjectum denominationis præcisè illud est cui nihil præcedentium competit, sed tantum denominatur extrinsecè à formâ aliquâ extrinsecâ ut sol & cælum respectu visionis, sonus respectu auditionis, & huiusmodi.

III. Solum advertendum, diversas has acceptiones non ita se mutuò excludere, ut aliquando non coniungantur, & in eadem subinde re variæ subjecti

R.P. Th. Comptoni Philosophia.

notiones reperiantur, subjectum enim informationis semper est subjectum denominationis, nam forma quæ informat, semper denominat, ut anima rationalis corpus denominat animatum ac vivens, & albedo creata si uniretur subjecto, denominaret illud album: calor etiam sustentatus à materiâ ligni, eam informat, ac denominat hoc calidum: respectu quorum proinde materia simul & subjectum sustentationis est, & informationis, & sic de alijs.

Dico primò: ratio subjecti, prout dicitur rationem his omnibus subjectis communem, non consistit in antecessione aliquâ, aut prioritate naturæ. Probatur, nam subjectum adhaesionis non est prius formâ à qua denominatur, quod patet, nam effectus est subjectum adhaesionis respectu actionis, quâ producitur, sed effectus non est prior productione sui, sed potius posterior, ergo subjectum ut sic non consistit in hac prioritate.

Dico secundo: ratio formæ ut sic consistit in eo quod denominationem dat alteri cui aliquo modo unitur, & ratio subjecti in eo quod quovis modo denominationem ab alio sibi aliquo modo unito recipit. Probatur inductione, videmus namque omnis generis formas dare, & omnis generis subjecta recipere has denominationes, & formas è contrâ non accipere denominationes à subjectis, nec enim visio dicitur parietata, nec calor ignitus, sicut ignis calidus, & paries visus, ergo optimum est signum à posteriori rationem formæ & objecti ut sic in hoc consistere, quòd illa sit apta dare, hoc recipere denominationem. Sicut quia omnes homines sentire videmus & ratiocinari, optimè à posteriori colligimus essentiam hominis in eo consistere, quòd sit principium sentiendi & ratiocinandi.

Dices; in hoc respondendi modo idem affirmari per idem, huius enim rationem quaerimus, cur scilicet proprium sit formæ dare denominationem potius quam subjecti. Resp. si petatur ratio à priori, nullam esse, sicut nec ullius essentia, cum enim essentia sit prima ratio & conceptus cuiusque rei, ostendi non potest per aliam rationem priorem, nihil enim est prius essentiâ. Ratio autem à posteriori optima traditur à signo, si enim hoc semper contingere videamus, est probabilis ratio à posteriori naturam & essentiam formæ ac subjecti in hoc consistere, ut in principio sentiendi & ratiocinandi ostendimus respectu hominis. Quod autem dicitur, responderi hic idem per idem, hoc quoad rem ipsam semper contingit quando ad quaestionem quid est respondetur per definitionem, quia definitio quoad rem, eadem semper est cum re definitâ. Sufficit ergo quòd sit diversum quoad modum concipiendi, licet re sit idem, ut cum quaerenti quid sit homo, responderetur, est animal rationale.

Dices secundo; etiam formam denominari subjectum seu receptam, ergo accipit denominationem à materiâ. Resp. denominationem illam non provenire à materiâ, sed vel ab unione, vel actioneeductivâ, sicut enim non dicitur unita à materiâ, sed ab unione, sic nec denominationem unitæ seu subjectatæ accipit à materiâ, sed ab unione, nec dicitur propriè subjectata à materiâ, sed in materiâ, licet aliquando latè hoc modo loquamur. Quo etiam modo dicimus ignem vel Angelum productum esse à Deo, Deus tamen non illos denominat productos formaliter, sed dicuntur producti à productione, seu actione quâ fiunt, Deus verò sicut causa omnis efficiens, solum denominat effectus productos in quantum ab ipsis fluit actio, quæ est forma adhaesionis respectu effectus. An verò formæ ita denominant subjecta, ut quod ipsis convenit, tribuant subjectis, si sint illius capacia. Sic aer dicitur lucidus à luce, color vi-

T

sus

sus à visione, materia seu corpus vivens ab animâ rationali: subjecta tamen è contrâ non tribuunt denominationem formis eorum quæ in se continent, sic enim visio coloris nec colorata à colore, nec alba dicitur ab albedine, sicut nec anima rationalis mortua à materiâ.

VII. Solum notandum, id quod est forma respectu unius, posse esse subjectum respectu alterius, anima ex. g. quæ respectu materiæ primæ seu corporis est for-

ma, respectu intellectus & voluntatis, si distinguatur, & respectu suorum actuum est subjectum. Sic quantitas respectu materiæ est forma, respectu albedinis & aliorum accidentium materialium dici communiter solet subjectum, & sic de aliis. Hæc de ratione subjecti in præsentia sufficiant, postea enim cum de unione, iterum de eâ necessitè recurret sermo.

potest esse
subjectum
respectu al-
terius.

DISPUTATIO V.

De potentiâ Materia ad formas, & de Ordine Transcendentali.

SECTIO PRIMA.

An in creatis reperiaturs ordo transcendentalis unius rei ad aliam.

Quid sit
ordo tran-
scendentalis.

UT clarius procedamus, suppono ordinem seu relationem transcendentalem nihil aliud esse, quàm ipsam rei entitatem, quæ per se essentialiter habet connexionem cum alia, ita ut si illud aliud redderetur impossibile, hoc similiter necessitè in Chimæram abiret, & pariter fieret impossibile.

II. Prima sententia negat relationem transcendentalem in creatis.

Recentiores aliqui non indocti, nec malè de re Philosophicâ meriti, ita philosophantur, ut & causam efficientem ab omni huiusmodi connexionem cum effectu, & materiam à connexionem essentiali cum formâ eximant, unde relationem hanc transcendentalem à rebus creatis tollunt, nullamque omnino rem esse aiunt, quæ reliquis etiam omnibus implicantibus, non remaneret possibilis, & eandem quam modò habet, entitatem integram retineret. Ita inter alios P. Oviedo, Controv. 10 Met. p. 4 n. 5.

III. Communis Philosophorum sententia concedit.

Contraria sententia, ut fatetur Oviedo numer. 2. est communis Philosophorum, quam variis locis tradit S. Thomas. Ex Recentioribus eam sequitur P. Suarez d. 47. Met. l. 5. num. 11. & sequen. Hurt. d. 8. Phys. nu. 26. asserens hunc sensum cum ipsâ Philosophiâ esse natum. Arriaga d. 7. Phys. l. 2. n. 12. & alij passim.

IV. Quadam in rebus creatis existere sine aliis connaturaliter non possunt.

Prima Conclusio: Datur inter res creatas exigentia connaturalis, ita ut ex iis nonnullæ sine aliis quibusdam existere connaturaliter non possint. Probatur, à qua frigus connaturaliter postulat tanquam debitum sibi temperamentum, terra siccitatem, homo potentiam visivam, & alios sensus, aqua tamen frequenter sine frigore reperitur, terra sine siccitate, homo sine visu.

V. Quadam sine aliis existere omnino nequeunt naturaliter.

Secunda Conclusio: major adhuc datur in rebus creatis exigentia, ita nimirum, ut sine quibusdam aliis existere omnino naturaliter non possint. Hoc modo accidens, & forma omnis materialis pendet à subjecto, actus vitalis à potentiâ, species & visio ab objecto, & alia huiusmodi. Hoc etiam modo duæ partes minimi naturalis ita à se invicem in eadem pendunt, ut neutra sine alterâ existere naturaliter possit.

VI. Quadam sine aliis existere nequeunt divinitus.

Tertia Conclusio: In rebus creatis quoad actua-lem existentiam datur inter quasdam dependentia etiam essentialis, ita ut nec divinitus sine iis existere valeant. Hac ratione actio dependet ab agente, unio ab extremis, & modus omnis à subjecto suo vel ter-

mino. Hoc etiam modo res quævis creata, ut ignis, lux, calor, ut existant petunt causam aliquam creatam, vel increatam, sine aliquâ enim non magis existere possunt, quàm unio sine extremis.

Quarta Conclusio: datur inter res creatas dependentia & connexio essentialis etiam quoad possibilitatem, quâ ita aliarum possibilitatem exigunt, ut his implicantibus, illæ similiter implicarent. Ita autem secunda sententia.

Probatur primò, Materia prima est essentialiter ens incompletum, & hoc est illi prædicatum intrinsecum, nec magis ab eâ separabile quàm esse ens, ergo essentialiter petit formas esse possibiles, à quibus compleri possit, ergo essentialiter dicit respectum ad possibilitatem formarum, si enim illæ redderentur impossibiles, periret hoc prædicatum in materiâ, uno autem prædicato ejus percunte, materia tota pereat necesse est, ergo.

Probatur secundò, accidens est essentialiter ens in alio seu ens in ut Philosophi omnes fatentur, ergo petit essentialiter esse subjectum possibile cui inesse possit. Sicut quia tam accidens, quàm alia res creata quæcunque est ens ab alio, petit essentialiter causam aliquam esse illius productionis, saltem Deum, sed non minus de conceptu intrinseco accidentis est, quod sit ens in alio, quàm ens ab alio, ergo. Confirmatur, actio generativa essentialiter petit subjectum, nam idem est actio generativa, atque educativa è subjecto, hæc enim est illius essentia, ergo si subjectum reddatur impossibile, perit essentia huius actionis, ergo eadem operâ actio redditur impossibilis, ergo pendet essentialiter à possibilitate subjecti.

Probatur tertio, hominis essentia est, ut sit animal rationale, seu principium sentiendi & ratiocinandi, actio- num scilicet sensuum & intellectus, ergo quàm certum est quod sit homo, tam certum est petere ut sint possibiles operationes intellectuales & sensitivæ, si enim omnes redderentur impossibiles, esse illarum principium non posset, cum nihil possit esse principium Chimære.

Dices; hæc omnia arguere potentiam solum conditionatam, nempe materiam posse recipere formas, & hominem huiusmodi actiones producere si sint possibiles. Contrâ primò, nam saltem de actione generativâ dici hoc non potest, cum essentialiter sit educatio ex subjecto, ergo essentialiter requirit subjectum, ergo hoc implicante, implicabit necessitè & actio. Contrâ secundò, Angelus videns materiam, nullâ etiam visâ formâ, videt eam esse ens incompletum & compartem, cum videat illam comprehensivè, ergo videt eam essentialiter petere formas, seu compartes aliquas esse possibiles.

Contrâ tertio, nihil enim dicere potest potentiam

VII. Datur inter res creatas relatio transcendentalis.

VIII. Probatur, nam materia est essentialiter ens incompletum.

IX. Secundò probatur, nam accidens est essentialiter ens in alio.

X. Tertiò probatur ex definitione, & naturâ hominis.

XI. Nec ad hoc sufficit potentia conditionata.

XII. seu